

Petrus de Vines

*Ep. II 52 (Super eo quod
de fortunatis auspiciis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vines

*Ep. II 52 (Super eo quod
de fortunatis auspiciis...)*

1246

Item significat cuidam nobili fideli suo, petenti certificari de prosperis successibus suis.

1. Super eo quod de fortunatis auspiciis et felicibus processibus nostris per nostras recreari litteras suppliciter postulasti, uolentes exinde uotis tuis libenter annuere, fidelitati tuae presentium tenore intimamus, quod, diuina dextera nostris assistente processibus, feliciter uiuimus et magnifice triumphamus, ac nonnullis ex proditoribus nostris, qui, sicut famae preloquio et relatione ueridica credimus ad tuam notitiam iam deductum, nefando proposito in necem nostram ausu temerario conspirant, pro merito penae supplicio traditis et ignominiosa morte dampnatis, reliqui, qui sub defensionis, quin potius offensionis eorum ymagine, metu terribili, uelut de celo fulminis ictu percussi, se in castro nostro Capacii receperunt, sic fidelium nostrorum Regni clara deuotione sunt undique circumsepti, sic continuo machinarumstrarum ictibus incessanter afflicti, cisternis et domibus diruptis, propugnaculis omnibus murorum et turrium deuastatis, ut, tamquam undique coartati et manus nostras effugere non ualentes, ab ultionis instantis et indubitatae iudicio sola se ualeant spontanea gladii morte subducere, uel excelsae rupis ex parte maritimae precipitio liberare.

2. Et sic Regni nostri negotiis iam pro uoto dispositis, ad rebellium nostrorum et Imperii reliquias conterendas, Ytaliae partes in proximo uictoriose repetere feliciter et instanter accingimur, cum ad id et uoluntatis nostrae nos auditas inuitet, et de Perusinis ac Asisinatibus rebellibus nostris nuper obtenta uictoria reddat libere expeditos.

3. Tu igitur, qui tamquam uas puritatis et aromatum cella precipua, per fidem et deuotionem tuam uniuersis

redolens per exempla, quem nec seditiosa seductio uariauit, nec laborum commouit immensitas, nec demum larga promissio potuit a nostri professione nominis, in qua te natiua solidauit. antiquitas immutare, singulorum mentes sollicita, et huiusmodi nostrae festiuitatis ferias ac aduentus nostri uigilias, una cum ceteris nostris fidelibus ipsarum partium hylariter sollempniza.